

Deuteron. (cap. 18. v. 9.) : Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi ; cave ne imitari velis abominationes illarum gentium... propter istius modi scelera delebit eos (Deus) in introitu tuo. Quis autem dixerit Deum , absque crudelitate , non posse populos ad omne scelus projectos morte plectere ? Ceterum nihil expressius Judæis commendabatur , quam humanitatis officia erga hospites et advenas. Si habitaverit , inquit Deus per Moysen , advena in terra vestra , et moratus fuerit inter vos , non exprobetis ei , sed sir inter vos , quasi indigena , et diligatis eum quasi vosmetipsos. (Levit. 19. v. 33 et 34.)

Obj. 6°. Religio quæ nullibi docet animæ immortalitatem ; quæ non promittit nisi bona temporalia , non est divina ; atqui Religio Judaica , etc. ergo non est divina.

Neg. min. Nam , 1°. docet Moyses (Genes. 2. 7.) corpus ex limo terræ concretum fuisse ; animam verò esse spiraculum vitæ , et ad imaginem Dei factam , ac proinde ab omni corporea fece expeditam , et ab intreseco immortalem. 2°. Inducit Patriarchas confitentes se hospites esse et peregrinos super terram ; quibus verbis significabant se patriam inquirere meliorem , id est , cælestem. 3°. In fœdere cum Abraham inito , hæc fuit ex parte Dei promissio : Ego protector tuus sum , et merces tua magna nimis. (Gen. 15. 1.) quæ verba aliam demonstrant vitam , in qua dabitur frui Deo. 4°. Patriarcha Jacob morti proximus , divino afflatus spiritu exclamavit : Salutare tuum expectabo Domine. (Genes. 49. 18.) 5°. Leges severas Moyses adversus eos constituit , qui veritatem à mortuis inquirerent. (Deuter. cap. 18.) 6°. Legitur Saïlem adïisse mulierem Pythonissam , eamque rogavisse ut Samuëlis animam evocaret ; (Lib. 1. Regum , cap. 28.) atqui hæc omnia aliaque innumera satis probant hanc in veteri lege invaluisse persuasionem , animam fore cor-

pori superstitem , aliamque ipsi vitam destinari ;

Præterea legi Mosaicæ unusquisque ita se obstringebat , ut in eâ stare deberet , etiam cum fortunarum et ipsius vitæ periculo ; nec defuerunt qui occumbere maluerint , quàm datam hæc de re fidem violare : atqui neminem videas , qui velit pro Religione aliquâ mortem oppetere , nisi certa præmii post interitum obtinendi spes affulgeat. Si quid aliud in Religione Judaica reprehensibile prima fronte videatur , omnem ea de re anxietatem ac sollicitudinem depellere debet certissimum istud principium , scilicet Religionem perspicuis divinitatis characteribus , miraculis nempe et Prophetiis insignitam , omnis vitii expertem esse.

Quasdam alias difficultates solvimus in Tractatu de Legibus , ubi de Lege Mosaica disseritur.



DISSERTATIO IV.

De Religione Christiana.

IN demonstrandâ Religionis Christianæ divinitate , istum instituemus ordinem : 1°. librorum novi Testamenti authenticitatem ; 20. illorum integritatem ; 3°. ipsorum veritatem adstruemus. 4°. Præcipua exponemus argumenta , quæ veram et divinam esse Religionem Christianam demonstrant.



CAPUT PRIMUM.

De librorum Novi Testamenti authenticitate.

AD labefactandam librorum Novi Testamenti auctoritatem, eos genuinum non esse Apostolorum vel Christi Discipulorum opus persuadere nituntur Deistæ. Contra quoque sit.

P R O P O S I T I O.

Quatuor Evangelia alique Novi Testamenti libri sunt opera verè authentica et genuina.

Probatur 1°. Illi libri verè sunt authentici, qui eos habent autores, quorum nominibus inscribuntur: atqui quatuor Evangelia ceterique Novi Testamenti libri eos, etc. Illud enim certum est quod omnium seculorum fides testatur; alioquin nihil erit in factis historicis indubitatum, omnesque libri ut spurii rejiciendi erunt: atqui quatuor Evangelia aliosque Novi Testamenti libros eorum esse, quorum nomina præ se ferunt, testatur omnium seculorum fides, et ea de re consentiunt Scriptores tum Catholici, tum Hæretici, tum Pagani.

2°. Quidem Catholici; nam Clemens Romanus Apostolis cœvus, Sanctus Ignatius qui Christum à mortuis suscitatum se vidisse gloriabatur, Polycarpus, Apostolorum Discipulus, Papias Joannis Evangelistæ auditor et Polycarpi socius, Sanctus Justinus Martyr, ii, inquam, singuli patres Apostolis trihuunt Novi Testamenti libros. Sanctus, v. g. Justinus in sua Religionis Christianæ Apologia, 160 circiter annis post Christi mortem edita, affirmat Apostolorum monumenta, Prophetarumque scripta in Christianorum conventibus legi so-

lita diebus dominicis, hancque consuetudinem ubique invaluisse. Deinde S. Irenæus, Clemens Alexandrinus, qui secundo seculo floruerunt, ubique receptam fuisse quatuor Evangeliorum auctoritatem innumeris testantur in locis, ut videre est apud Eusebium. (*Hist. lib. 5. cap. 8.*) Percurre, inquit Tertullianus, *Ecclesias Apostolicas... apud quas ipsæ authentica litteræ (Apostolorum) recitantur.* (*lib. de præscriptione, cap. 36. p. 215.*) Alios Scriptores Catholicos consule, eosque ac de re unanimes esse facile erit deprehendere; ergo 1°. hæc fuit auctorum catholicorum fides Novi Testamenti libros genuina esse Apostolorum opera.

2°. Eâ de re cum Catholicis bene concordēs sunt omnes ferè Hæretici, qui infelici successione ab ipso Religionis Christianæ exordio ad nostram usque ætatem extiterunt; tales sub ipsis Apostolorum temporibus fuere Cerinthiani, Ebionitæ, Cerdoniani et alii. Quapropter illud heterodoxis semper familiare fuit, ut sacros illos libros alienum in sensum detorquendo, eos suis erroribus, licet invidiosos et reluctantes, accommodarent, ne viderentur à doctrina Apostolica recedere; ipsos verò genuinam eorumdem voluminum interpretationem, et auctoritatem semper opposuerunt Catholicis: ex utraque igitur parte constabat eos libros esse autenticos; quis enim Hæreticis illis fictitia Apostolorum scripta proferre ausus fuisset?

3°. Idem etiam autoribus paganis persuasum fuit qui adversus religionem Christianam scripsere, quales fuerunt Celsus, Porphyrius, Julianus, quorum tamen intererat sacrorum Librorum auctoritatem imminuere. Nam Celsus Philosophus plura ex Evangeliiis commemorat, quæ ex Discipulorum Christi libris se excerpte profitetur; Porphyrius et Julianus, insensissimi illi nostræ Religionis hostes, qui nihil ex his reticuerunt, quæ in eam aliquid opprobrii respergere poterant, de sacrorum tamen Codicum suppositione tacent, nec

levissimum hujus vestigium produnt. tanta ipsis inerat persuasio, illos libros germana esse Apostolorum opera? ergo, etc. etc.

Prob. 2°. Libri novi Testamenti verè sunt authentici; si non potuerunt esse conficti: atqui non potuerunt, etc.: illud enim contigisset, vel viventibus Apostolis vel ipsis jam mortuis: atqui neutrum dici potest. Non quidem primum: quis enim adeò demens et temerarius esse potuit, ut illud sub ipsis Apostolorum oculis susciperet? Quod si quis tentasset, nonne obstitissent Apostoli, ne ipsorum autoritate et nomine abuteretur impostor ad corrumpendos vanis erroribus homines, quos tantis laboribus ad veritatem Evangelicam adduxerant? Secundum etiam dici non potest, nimirum illos libros post mortem Apostolorum fuisse confictos: quis enim fidelibus persuadere potuisset eos ab Apostolis, dum viverent, accepisse epistolas ipsorum manu scriptas, illasque summà reverentiâ tam privatim, quam publicè legisse, si reverà nec epistolas accepissent, nec quidquam de illis audivissent? ergo, etc.

Les lettres de S. Paul, inquit DD. de Montazet, in opere nunquam satis commendando de Religione Christiana, et les autres écritures du Nouveau Testament, sont adressées à toutes les Nations du monde, aux Romains, aux Ephésiens, aux Galates, aux Hébreux, etc.; tous ces peuples les ont reçues. Il faut donc, si les écrits sont supposés, ou que tous les peuples de la terre se soient unis pour les fabriquer et les répandre ensuite sous des noms imaginaires, ou qu'eux mêmes y aient été trompés: mais comment des millions d'hommes auroient-ils pu être abusés sur un fait où l'erreur étoit si aisée à découvrir? où comment auroient-ils tous conspiré à accréditer et à faire prévaloir l'imposture? Quoi! des hommes embrassent une Religion qui abhorre le mensonge, qui n'enseigne que la vérité; ils renoncent pour elle à toutes les espérances humaines: ils

s'exposent pour elle aux plus violentes persécutions: et sans intérêt, comme sans raison, ils se seront accordés dans le coupable dessein d'en imposer à tous les siècles!... Et ni les divisions qui se sont élevées entre les Eglises particulières, ni la diversité des intérêts, des caractères et des situations d'une multitude innombrable de complices, n'auront jamais déterminé personne à dévoiler la fraude, ou à désabuser la terre! C'est trop honorer une pareille supposition que de la combattre sérieusement. (pag. 83. Ed. in-4°.)

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Libri quidam profani diù habiti sunt ut genuini, qui postea recogniti sunt suppositi: ergo pariter libri Evangelici possunt esse suppositi.

Resp. 1°. Retorqueo argumentum: libri quidam fuerunt suppositi: ergo Ciceronis, Virgillii, Horatii et aliorum opera, sub eorum nominibus conficta sunt: quis verò, nisi pyrrethianus sit, hujus modi ratiocinium ferat?

Resp. 2°. Neg. conseq. Novi enim Testamenti libri nullum omninò exhibent suppositionis indicium. A traditione non interrupta iis autoribus tribuuntur, quorum nomina præ se ferunt: admittuntur ut genuini, etiam ab iis quorum interfuit illud pernegare: multa continent præcepta cupiditatibus maximè ingrata, quæ profecto fuissent rejecta, si libri illi essent suppositi: facta memòrant gravissimi momenti, quæ proinde non semel examini subjecta sunt: tandem neque per vitam, neque post mortem Apostolorum conungi potuerunt, ut liquet ex dictis; quæ omnia à libris Novi Testamenti omnia suppositionis remonent suspicionem.

Obj. 2°. Primis Ecclesiæ temporibus, ab Hæreticis multa Evangelia sub Apostolorum nominibus fraudulentur invecata sunt: ergo nostra pariter suppositi potuerunt.

Resp. Neg. conseq. 1°. Quia commentitia hæc

Evangelia statim repudiata sunt; eodem igitur veritatis studio ducti primi Christiani, quatuor alios Evangeliorum libros pariter rejecissent, nisi eorum sinceritas omnibus patuisset. Objectum igitur argumentum causam nostram juvat, nedum infirmet. 2°. Nullus est qui pro asserenda fictorum Evangeliorum fide, vitam abjecerit. 3°. Ineptè prorsus spuria hæc Evangelia nobis objiciunt Deistæ: cum enim Christi Resurrectionem, Ascensionem, ceteraque ejus miracula referant, sacrorum codicum in hac parte testimonium potius confirmant, quàm illorum minuunt auctoritatem.

Obj. 3°. Authenticos esse Novi Testamenti libros ex solo Christianorum testimonio colligitur: atqui hæc probatio nullius est momenti, siquidem nemo iudex in sua causa esse potest.

Resp. 1°. Neg. maj. Non Christianorum enim tantummodo, sed et Paganorum testimonio stabilitur Novi Testamenti authenticitas; quamvis eorum causæ plurimum interfuerit sacros codices tanquam suppositos infamare, id tamen efficere non ausi sunt. Ex. g. Julianus Imperator nunquam de Evangelicis, aut aliis Novi Testamenti libris sermonem habet, quin eos Apostolis tribuat, quorum nominibus inscribuntur. Modo quædam loca ex S. Pauli epistolis, ut ipse ait, decerpta refert; modo ex Luca et Matthæo nonnulla Christi verba vel facta profert. Quando Christianis prohibet ne humaniores litteras edoceant, satis ipsis fuerit, inquit, *Lucam et Matthæum in Galilæorum cæribus exponere*. Vide S. Cyrillum Alexandrinum adversus Julianum.

Resp. 20. Neg. min. Scilicet populum non posse in sua causa esse iudicem. Audiri enim solent omnes populi in iis quæ ad regimen suum legesque suas pertinent; atqui in Novi Testamenti libris continentur regimen, leges, status, destinatio Christianorum. Præterea priusquam suum Christo nomen darent, Religionis vel Judaicæ,

vel Ethnicæ, in qua nati fuerant et instituti; principiis erant inabuli; plurimis ergo laborabant præjudiciis erga facta quæ ipsis credenda proponebant Christiani, ideoque in propria causa non iudicârunt; maximi igitur momenti est ipsorum testimonium; siquidem non piâ quidam crudelitate delusi, sed factorum evidentia victi, Religioni Christianæ sese addixerunt.

Obj. 4°. In nostris exemplaribus quædam, nec levis momenti, leguntur, quæ in antiquioribus non existunt; sic testantur Gregorius Nissænus et Hieronymus, totum caput 9 Evangelii S. Joannis, in quo memoratur historia mulieris adulteræ, multis in codicibus desiderari; ergo libri Evangelici non sunt authentici.

Resp. 1°. Minimè constat prædictum caput non esse authenticum. Mulier enim adulteræ historia in omnibus Ecclesiis Orientalibus semper recepta fuit. Eam referunt Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, etc. Testantur eruditi eandem legi in versionibus Persica, Arabica, Æthiopica, Itala, etc. quæ antiquiora manuscripta repræsentant. Si quibusdam è codicibus exulet, id piæ Veterum formidini tribuendum est; scilicet metuebant ne historiam hanc fidelium oculis exponendo, quidam ex iis adhuc infirmi et instabiles, inde occasionem sumerent flagitiose vivendi, rati peccatorum veniam à Deo se facile consecuturos. Ita sentiunt S. Ambrosius (*Apolog. 2. pro Davide*. S. Augustinus (*Lib. de adulter. conjug. Cap. 7.*)

Resp. 2°. Etiamsi prorsus non constaret prædictum caput non fuisse additum, perperam inde colligeretur authenticos non esse Novi Testamenti libros. Ex eo quod enim quædam sint Livii, Cæsaris, Ciceronis, etc. loca, de quorum authenticitate controversatur, numquid hinc inferretur licet supposita esse omnia illorum scriptorum opera? Quis pariter seriat istud ratiocinium (quatuor pri-

Æneidos versus, juxta eruditos, alienâ manu fuerunt assuti; ergo totum illud carmen spurium est ac suppositum.

CAPUT II.

De librorum Novi Testamenti integritate.

IN sacros illos codices leviora quædam irrepsisse menda non diffitemur; sed controvertitur an fuerint quoad substantiam adulterati.

P R O P O S I T I O.

Libri Novi Testamenti quoad substantiam non fuerunt adulterati.

Prob. 1^o. Si Libri Novi Testamenti adulterati fuissent, illud vel ipsâ Apostolorum ætate, vel seculo proximè subsequenti, vel aliis remotioribus contigisset: atqui nihil horum dici potest. 1^o. Non ipsa Apostolorum ætate; quis enim sibi persuadeat Apostolorum scripta sub ipsorum oculis impunè temerari potuisse? Nonne statim reclamassent Apostoli, qui propagandæ servandæque sanæ doctrinæ incumbabant! Nonne reclamassent fideles ab ipsis Apostolis eruditi, pro summa suos in Magistros, doctrinam que ab ipsis traditam reverentiâ! Ergo 1^o. sacri Codices Apostolorum ætate non fuerunt, quoad substantiam, corrupti.

2^o. Non seculo proximè subsequenti; tunc enim ita recentes erant Apostolorum memoria, prædicatio, doctrina, ut interpolatoris fraudem detegere facile fuisset. Præterea authentica sacrorum Codicum exemplaria præcipuis in Ecclesiis asservabantur; innumera transcripta sunt, et in varias orbis partes disseminata, quæ in omnium

ferè manibus versabantur, privatimque ac publicè legi consueverant; atqui hæc manifestè probant libros illos quoad substantiam tunc adulterari non potuisse. Enim verò vel omnes Christiani ad concinnandam hanc fraudem simul conspirassent, vel ab una tantum parte fuisset adornatum mendacium; atqui utrumque incredibile est. Et quidem primum: repugnat scilicet numerosam Christianorum societatem ad eam fraudem consensisse, ex qua nihil ipsis sperandum erat nisi opprobrium, carceres, exilium, supplicia; hæc enim omnia experti sunt propter eam quæ in Novi Testamenti libris continetur doctrinam; deindè an talis conspiratio Judæos, Hæreticos, Paganos, latuisset? Nonne inde occasionem arripuissent novum odium novamque invidiam in Christianos concitandi? Atqui tamen ea de re omnino siluerunt. Secundum non minus absurdè diceretur, nempe fraudem ab aliqua tantum Christianorum parte ortam esse et propagatam. Quo pacto enim omnibus Apostolorum discipulis, omnibus Patribus, omnibusque per orbem dispersis Christianis illudere potuissent adulterina pro veris obtrudere exemplaria, et genuina omnibus et singulis fidelibus furtim subripere? ergo 2^o. etc.

3^o. Nec aliis seculis ab ætate Apostolorum remotioribus vitari quoad substantiam potuerunt sacri codices. His enim temporibus infinita exemplaria, innumeræ versiones ubique terrarum existebant, per manus Christianorum volitabant, summaque cum religione servabantur: atqui hoc posito, repugnat libros sacros fuisse quoad substantiam corruptos: vel enim aliqua tantum exemplaria adulterata fuissent, vel omnia; atqui neutrum dici potest. Non primum: nam miracula, vaticinia, dogmata quæ in hodiernis nostris exemplaribus leguntur, in omnibus aliis, sive Hebraicis, sive Arabicis, sive Syriacis, sive recentioribus, sive veteribus reperiuntur, ut constat apud eruditos.

non secundum, id est, fieri non potuit ut omnia sacrorum voluminum exemplaria, illorumque per orbem sparsæ versiones, nemine reclamante, corrupta fuerint; ad hoc enim requireretur ut impostor, quisquis fuerit, Codices authenticos ex omnium manibus eripisset, eorumque loco alios interpolatos tacite et clanculum subrogasset: atqui illud prorsus impossibile esse nemo non videt, ergo 3^o, etc.

Prob. 2^o. Libri Novi Testamenti vitari quoad substantiam non potuissent, nisi vel à Judæis, vel à Paganis, vel à Christianis: atqui nihil eorum verisimile est. 1^o. Quidem non à Judæis, tum quia obstitissent Christiani; tum quia in Novi Testamenti libris, quales existunt, plurima legere est Judæorum doctrinæ contraria, frequentissimas Christi adversus eos objurgationes, et alia multa Judæis prorsus indecora; porro si libros sanctos temerassent, hæc omnia procul dubio sustulissent. 2^o. Neque à Paganis; plurima enim in sacris voluminibus continentur, quæ Paganismum funditus evertunt, quale est de unius verique Dei cultu et adoratione præceptum: atqui ea profecto delevisent, si Novi Testamenti integritatem violandam suscepissent. 3^o. Neque id factum est à Christianis; ii quippè essent Catholici, vel Hæretici; atqui utrumque repugnat; namque si Catholici sacros illos Codices corrupissent, reclamatum fuisset ab Hæreticis, et vicissim Præterea non potuerunt Hæretici, exemplaria Catholicorum adulterare; hæc enim præ manibus non habebant; vice versa penès Catholicos non fuit Hæreticorum exemplaria vitare; siquidem in ipsorum potestate non erant; ergo libri Novi Testamenti quoad substantiam non fuerunt adulterati, sed facta quæ in ipsis memorantur, ad nos usque transmissa sunt integra.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Perierunt autographa Evangeliorum; ergo facile vitari potuerunt quoad substantiam.

Resp. Neg. conseq. Nullam increduli assignare possunt veterem Historiam profanam, cujus habeamus autographum; numquid idcirco historias omnes in dubium vocant? Præterea ab ipsis Ecclesiæ incunabilis extiterunt plurimæ Evangeliorum versiones, innumeri codices manuscripti; siquidem libri sacri per universum orbem sparsi, à Pastoribus exponebantur, ab omniumque regionum Christianis legebantur: atqui tanta et versionum et manuscriptorum multitudo invictè obstabat, ne corrumpentur Libri Evangelistarum.

Objic. 2^o. Inter se non consentiunt librorum Novi Testamenti exemplaria, in iisque sunt innumera variantes lectiones. Suas habet unaquæque linea, ita ut doctissimus Millius Anglus in sua Novi Testamenti editione græcâ, triginta millia collegerit: ergo sacri illi Codices quoad substantiam fuerunt adulterati.

Resp. Neg. conseq. Non obstant enim variantes illæ lectiones, quominus sibi quoad substantiam consonent libri Evangelici; varietas in verbis est, non in rebus. Quod tibi libuerit exemplar accipe, eadem miracula, eadem facta, eadem dogmata, eadem circa mores præcepta deprehendes. Prædicta lectionum diversitas in eo sita est, quòd errante oculo vel manu conscribentium, quædam litteræ vel additæ, vel detractæ, vel transpositæ fuerint.

Præterea Millius innumera exemplaria, innumeros codices manuscriptos, innumeras versiones secum invicem contulit, et omnes, vel etiam accentuum dissimilitudines, et minutatim annotavit. Non mirum est igitur tanto numero esse, quas collegit variantes lectiones, quamvis eundem sensum exprimant. Quis authenticas negaverit Terentii,

comœdias, licet minutori illo opere, plus quam viginti millia lectionum variantium deprehenderint eruditi ?

Quà de re audiamus doctissimum Bentheley qui præclaram Terentii editionem concinnavit : Je dirai avec confiance, que dans cet Auteur, dont les ouvrages ne font pas à beaucoup près un ouvrage aussi gros que le nouveau Testament, j'ai trouvé vingt mille diverses leçons : que seroit-ce donc, si l'on collationnoit les manuscrits de Terence avec la même précision, et, si j'ose le dire, avec la même minutie, que l'on a fait ceux du Nouveau Testament. Je suis moralement assuré que, même sur la moitié moins d'exemplaires, les variantes de ce poëte monteroit à plus de cinquante mille. (Critique du discours sur la liberté de penser.)

Denique hæc lectionum diversitas, quæ verba, non sensum afficit, sacrorum librorum integritatem confirmat, nedum infirmit. Quo majori enim numero sunt alicujus libri exemplaria, eo difficilius est illum quoad substantiam corrumpere, eoque facilius eum à suis mendis repurgare, collatis scilicet inter se exemplaribus : atqui lectionum varietas probat exemplarium multitudinem : namque ubi unicum est exemplar, ibi non potest esse lectionum diversitas.

Inst. Si divini essent Evangelistarum libri, eos Deus ab illis mutationibus defendisset.

R. Divinam Providentiam Evangeliorum librorum in his omnibus servasse integros, quæ ad Religionem, et rerum substantiam pertinent : quod sufficit ad cultus divini perpetuitatem, utque suum finem Deus assequatur. Numquid velit incredulus à Deo miracula continuo fieri, ut variationibus occurrat rerum humanarum conditioni illigatis, et quæ nullius sunt ad Religionem momenti ?

Propositam difficultatem sic explodit DD. de Montazet, (*ibid.* pag. 101.) *En est-il moins vrai, que ce sont par-tout les mêmes dogmes, la même*

morale, les mêmes prédications, les mêmes promesses, la même suite d'histoire ; que de tous les manuscrits, de toutes les versions, de tous les livres, il en revient toujours la même substance, la même législation, la même foi ; que tous, sans exception, nous présentent J. C. opérant des prodiges, prêchant une doctrine sublime . . mourant au milieu des douleurs et des ignominies, sortant du tombeau par sa puissance, envoyant ses Apôtres dans tout l'univers, s'élevant au plus haut des Cieux, et répandant de là son esprit sur l'Eglise naissante. . . Que pouvions-nous demander de plus à la divine Providence, pour être assurés que ces monumens sacrés nous sont parvenus dans leur intégrité ?

CAPUT III.

De veritate factorum quæ in Novi Testamenti libris continentur.

MAXIMI momenti est quam aggredimur quæstio ; si enim constiterit factorum seu miraculorum, quæ in Novi Testamenti libris narrantur, veritas, divina sit Religio Christiana necesse est. Quapropter sit

PROPOSITIO II.

Quæ in Novi Testamenti libris narrantur facta, omnimodam fidem sibi vindicant.

Prob. Facta illam omnimodam fidem sibi vindicant, à quibus omnem falsitatis suspicionem remouent vel severioris critices regulæ ; atqui ita se habent facta Evangelica. Factorum enim historicorum veritas ex tribus æstimari solet : 1^o. ex conditione et dotibus Scriptorum ; 2^o. ex